

T12

Naturalis historia XXXVI, 69-76

L'arte egizia

Super omnia accessit difficultas mari Romam devehendi, spectatis admodum navibus. (70) Divus Augustus eam, quae priorem advexerat, miraculi gratia Puteolis perpetuis navalibus dicaverat; incendio consumpta ea est. Divus Claudius aliquot per annos adservatam, qua C. Caesar importaverat, omnibus quae umquam in mari visa sunt mirabiliorem, in ipsa turribus Puteolis e pulvere exaedificatis, perductam Ostiam portus gratia mersit. Alia ex hoc cura navium, quae Tiberi subvehant, quo experimento patuit non minus aquarum huic amni esse quam Nilo. (71) Is autem obeliscus, quem divus Augustus in circo magno statuit, excisus est a rege Psemet-nepserphreo, quo regnante Pythagoras in Aegypto fuit, LXXXV pedum et dodrantis praeter basim eiusdem lapidis; is vero, quem in campo Martio, novem pedibus minor, a Sesothide. Inscripti ambo rerum naturae interpretationem Aegyptiorum philosophia continent.

(72) Ei, qui est in campo, divus Augustus addidit mirabilem usum ad deprendendas solis umbras dierumque ac noctium ita magnitudines, strato lapide ad longitudinem obelisci, cui par fieret umbra brumae confectae die sexta hora paulatimque per regulas, quae sunt ex aere inclusae, singulis diebus decresceret ac rursus augesceret, digna cognitu res, ingenio Facundi Novi mathematici. Is apici auratam pilam addidit, cuius vertice umbra colligeretur in se ipsam, alias enormiter iaculante apice, ratione, ut ferunt, a capite hominis intellecta. (73) Haec observatio XXX iam fere annis non congruit, sive solis ipsius dissono cursu et caeli aliqua ratione mutato sive universa tellure a centro suo aliquid emota (ut deprehendi et aliis in locis accipio) sive urbis tremoribus ibi tantum gnomone intorto sive inundationibus Tiberis sedimento molis facto, quamquam ad altitudinem inpositi oneris in terram quoque dicuntur acta fundamenta. (74) Tertius est Romae in Vaticano Gai et Neronis principum circo – ex omnibus unus omnino fractus est in molitione –, quem fecerat Sesoidis filius Nencoreus. Eiusdem remanet et alias centum cubitorum, quem post caecitatem visu reddito ex oraculo Soli sacravit.

(75) Dicantur obiter et pyramides in eadem Aegypto, regum pecuniae otiosa ac stulta ostentatio, quippe cum faciendi eas causa a plerisque tradatur, ne pecuniam successoribus aut aemulis insidianibus praeberent aut ne plebs esset otiosa. Multa circa hoc vanitas hominum illorum fuit. (76) Vestigia complurium incohatarum extant. Una est in Arsinoite nomo, duae in Memphite, non procul labyrintho, de quo et ipso dicemus, totidem ubi fuit Moeridis lacus, hoc est fossa grandis, sed Aegyptiis inter mira ac memoranda narrata. Harum cacumina <CC cubita> extra aquam eminere dicuntur. Reliquae tres, quae orbem terrarum inplevere fama, sane conspicuae undique adnavigantibus, sitae sunt in parte Africae monte saxeо sterilique inter Memphis oppidum et quod appellari diximus Delta, a Nilo minus IIII milia passuum, a Memphi <VII> D, vico adposito quem vocant Busirin; in eo sunt adsueti scandere illas.